



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

In festo S. Stephani. De Euangel. Matth. 23. part. 4. hebd. 25 post Trinit.  
med. 5. pag. 936. Vel de vita eiusdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

hæc intuens B. Virgo cum sancto Iosepho, quales affectus compassionis, admirationis, gratitudinis, adorationis, amoris nocte illa lachrymis & cœlestibus solatijs irrigata frequentarit? Fac & tu similiter.

---

In festo Sancti Stephani.

Vel de Euangelio Matth. 23.

Quam vide infra. Vel,

De vita eiusdem, iuxta communem modum meditandi de vitis Sanctorum.

**I**S Stephanus ab æterno à Deo electus est ad tantam gloriam Protomartyri Christi debitam, & in tempore omnibus naturæ & gratiæ præsidijs ad eam adipiscēdam necessarijs largiter instrutus, idque ex gratuita misericordia & liberalitate: ideo tali loco, tali tempore natus, tali indole, ingenio, doctrina, sapientia, eloquentia dotatus, sic ad fidem conuersus, tam eminenter charismatis Spiritus S. repletus, tanto zelo diuinæ gloriæ, inuitaque animi fortitudine ornatus fuit. O quam incomprehensi-

hensibilis est bonitas , misericordia,  
charitas Dei, S. Stephanum, & quemuis  
Electorum ad talem gradum gloriae ab  
æterno prædestinantis , tamque suauia  
& efficacia media , omnia & singula ad  
eum consequendum cuique præordi-  
nantis , & in tempore per hæc eadem  
media tam suauiter, efficaciter & mira-  
biliter unumquemque ad præstitutum  
finem per cooperationem liberi arbi-  
trij tandem deducentis? Agnosce ean-  
dem Dei erga te dignationem , admira-  
re, gratias age, amantem redama.

II. Stephanus tam extraordinariæ di-  
uinæ liberalitati erga se , gratum se ex-  
hibuit, acceptaque tantè gratiæ strenue  
cooperatus fuit. studendo pure , inten-  
se, constanter, insatiableiter. Eximia  
innocentia, angelica modestia, & vita  
exemplari. 2. Ardentí zelo fidei & gloria  
Christi propagandæ , & salutis anima-  
rum promouendæ. 3. Perfectæ charitati  
erga Christum , pro eo mortem tam  
promptè oppetendo , & similiter erga  
proximos, etiam inimicos, pro persecu-  
toribus orando. Zelus in his eum imi-  
tandi excitandus.

III. Christus eumdem mirificè glo-  
ria & honore coronauit in hac, & in al-  
tera vita, ex gratuito ineffabilis miseri-  
cordia,

cordiæ, charitatis, liberalitatis excessu; in hac quidem ei pro se certanti spectabilem se exhibendo, auxilium & brauium offerendo, ad constantiam martyrij eundem animando, & nunc vniuersæ Ecclesiæ, tanquam primicerium Martyrum solenniter colendum æmulandumque proponendo: in altera inæstimabili cum essentiali & accidentalí glo- ria, eximiaque Martyrum aureola æ- ternum remunerando Affectus congra- tulationis de tanta eius gloria, laudis & amoris tam munifici Saluatoris & glo- rificatoris, cum firma spe similis gloriæ in aliquo saltem gradu consequendæ subiungendi.

*Hic modus discurrendi, affectusque simi- les excitandi, accommodari facile potest me- ditationi cuiusvis de vitâ alicuius Sancti.*

---

In festo Sancti Ioannis Euange-  
listæ.

*Vel de Euangelio Ioan. 21. Quam vide in-  
fra 3. part. hebd. 2. post Pascha, med. 5.*

Vel

*De vita eiusdem B. Ioannis.*

I IX.

I. Ioannem ab æterno gratis elegit Deus ad insignes prærogatiwas gratiæ